



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis

**Asseburg, Wilhelm Anton von der
Paderbornae, 1764**

Officium Hebdomadarium de S. Liborio semid. pro Mens. Mart. April. Maj.
& Jun.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62764)

OFFIC. HEBDOMADARIUM
IN HONOREM

S. LIBORII

Episcopi & Confessoris

à

Sanctissimo D. N. D.

CLEMENTE XII.

in Civitate et Diœcesi Paderbornensi

Extra

Adventum, Quadragesimam, Quatuor Tempora,
& Vigilias, Die, festo novem lectionum non
impeditâ sub ritu semiduplici recitari concessum.

*Omnia dicuntur de communi Con-
fessoris Pontificis præter ea, quæ se-
quuntur.*

*In Hymno: Iste Confessor. mut.
3tius versus.*

*Ad Magnificat in primis vesperis
Antiphona: Sancte Libori Confessor
Christi miseris tuis subveni servis,
& iram, quam meremur, precatu
tuo averte, ne de gregis tui damno
inimicus exultet.*

Ora-

*Oratio.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam in Confessione sancti Nominis tui solidasti: præsta quæsumus; ut quæ Sancti Liborii Confessoris tui atque Pontificis recolit commemorationem, ejus apud te suffragiis ab omni mereatur adversitate liberari. Per Dominum &c.

In primo Noct. Lect. de Script. occur.

In 2. et 3. Noct. Lect. ordine inf. posito.

Ad Benedictus Antiphona: O quàm venerandus es Libori Confessor Christi, qui terrena contempsisti, & Coeli januam exultans petisti, modò victor fulges in virtute coelesti; ideò te supplices exoramus, ut intercedas pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

In 2. Vesp. ad Magnif. Antiph. Sancte Libori Confessor Domini pretiose, adesto nostris precibus pius, ac propitius.

Pro

Pro Mensibus Martio & Aprili.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysoctomi, in Cap. 15. Epist.
ad Rom. Serm. 29. circa finem.

Lectio IV.

Christum diligens, & gregem il-
lius utique diligit. Et Moysen-
tum primum super populum Judæ-
orum posuit, quando, quâ esset in
illum benevolentia, re ipsâ jam de-
claraverat. David quoque simili mo-
do regno inauguratus est, postea-
quam apparuerat, quàm amico es-
set in populum affectu. Ita quippe
juvenis adhuc, populi causâ doluit,
ac zelavit, ut & animam suam ex-
poneret, cùm videlicet barbarum
illum è medio tollebat. Quod verò
dicebat, quid dabitur ei, qui alie-
nigenam hunc interfecerit? non ideo
dicebat, quod mercedem exigeret,
sed quo sibi crederetur, & in pug-
nam cum illo committeretur! nam
cùm adeptâ jam victoriâ ad Regem
esset

effet ingressus, nihil de mercede meminuit.

R. Inveni David &c.

Lectio V.

Et Samuel quoque benignus erat, & amator populi: unde & dicebat: Absit autem hoc à me peccatum, ut cessem pro vobis orare Dominum. Ita & Paulus, imò non ita, sed multò plus omnibus ardebat erga subditos. Unde & discipulos ita erga se animavit, ut diceret: Si possibile fuisset, oculos vestros eruissetis, mihi que dedissetis. Et Christus optimi Pastoris regulam proferens dixit: Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus. Sunt enim Sanctorum animæ vehementer mites, & hominum amantes, non solùm erga domesticos, sed alienos, ita ut hanc suam mansuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Propterea & Sapiens quispiam dixit:

Iustus

Justus miseretur animarum jumentorum suorum. Si jumentorum, multò magis hominum.

Re. Posui adjutorium &c.

Lectio VI.

Verum quoniam pecorum mentionem feci, perpendamus & ovium pastores illos, qui in Cappadocum regione sunt, qualia & quanta pro pecorum suorum custodiâ patiantur. Illi sæpenumerò universum triduum nive obruti perdurant. Dicuntur autem, & qui in Lybiâ sunt, non minora mala ferre, dum integros menses difficilem illam solitudinem, pessimarumque bestiarum plenam vagando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentia impendunt pastores illi; quam quæso excusationem habebimus, quibus rationales animæ concreditæ sunt, quod profundum hunc somnum dormimus? An ignoras gregis hujus digni.

dignitatem? an illius gratiâ Domi-
 nus tuus innumera non fecit? an
 non postremò & sanguinem suum
 fudit? Tu verò requiem quæris? Et
 quid poterit pejus esse pastoribus
 istis? *R.* Iste est &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 25.

In illo tempore: Dixit JESUS disci-
 pulis suis parabolam hanc: Ho-
 mo peregrè proficiscens, vocavit
 servos suos, & tradidit illis bona sua.
 Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Ex Homil. 79. in Matth. circa medium.

Talenta hic pro eo quod unus-
 quisque facere potest, accipi-
 mus, sive auctoritate protegere, si-
 ve pecuniis juvare, sive doctrinâ ad-
 monere, sive aliâ quapiam re proxi-
 mis prodesse queas. Nemo secum
 dicat, cum unum talentum habeam,
 nihil possum efficere: potes profe-
 cto

Etò ex eâ unâ re solâ comprobari.
Non es pauperior illâ viduâ, non es
Petro atque Joanne rusticior: qui
quamvis rudes simul atque illiterati
fuerunt, quoniam magno studio
communem utilitatem complexi fue-
rant, cœlorum principes facti sunt.

℞. Amavit eum &c.

Lectio VIII.

Quippe nulla res Deo gratior est,
quàm ut universam vitam ad
commune commodum conferas.
Idcirco ratione atque oratione nos
Deus decoravit, mentem & inge-
nium concessit, manus, pedes, vi-
res corporis dedit, ut his omnibus
& nos ipsos & proximos tutemur.
Non enim ad agendas gratias so-
lummodò confert oratio, verùm
etiam ad docendum, & admonen-
dum perutilis est: quâ in re si eâ di-
ligenter utemur, Dominum; sin verò
in contrariis, diabolum imitabimur.

℞. Sint



Rz. Sint lumbi &c.

Lectio IX.

Nam & Petrus, quandoquidem Christum confitebatur, quasi ea dicens quæ Patris sunt, beatificabatur: quòd autem crucem horrebat atque repellebat, quasi ea quæ Diaboli sunt sapiens, acriter increpabatur. Si ergo ignoratione crucem recusando reprehensus est, quam nos sponte peccantes veniam impetrabimus? Ea ergo loquamur, quæ Christi verba esse confestim cognoscuntur.



Pro Mensibus Majo, & Junio.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysofomi.

unde supra.

Lectio IV.

Et homines quidem, qui populis præfunt, si quando de rebus fortuitis consultaturi sunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent: nos verò, qui pro ipso cælo certamen habemus, ipso quoque die dormimus. Quis, quæso, ab eo nos supplicio eripiet, quod istis debetur? Si enim corpus trucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat, nunquid ad hoc munus, tanquam ad nundinas currendum erat? Hæc autem non solùm pastores, sed & oves audiant, ut alacriores faciant pastores, aliud quidem nihil, verùm omnem obedientiam, animùmque cui persuaderi queat, exhibentes.

Re.



Rz. Inveni David.

Lectio V.

Ita Paulus præcepit dicens, obedite ducibus vestris, & subditi estote: nam ipsi vigilant; pro animabus vestris, tanquam rationem daturi. Quando verò dicit, Nam ipsi vigilant; innumeros labores, curas & pericula complectitur. Bonus enim Pastor, & talis qualem Christus vult, innumeris comparatur martyribus. Propter Christum quippe martyr semel quidem est mortuus, hic verò millies propter gregem, si quidem talis sit pastor, qualem esse oportet: talis enim pastor singulis diebus mori potest. Propterea & vos, cognito isto labore, & precibus, & diligentia, & animi alacritate & dilectione nos juvate, ut & nos vestra, & vos vicissim nostra gloriatio sitis.

H 2

Rz.

Rz. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Nam ideo Christus istud Apосто-
lorum Summati, & plus ipsi
quàm reliqui diligenti, commen-
dans, & injungens, primùm roga-
bat an ab ipso diligeretur: ut discas,
quòd istud sit ante omnia reliqua
dilectionis in Christum positum si-
gnum: Strenuo siquidem animo hic
opus est. Hæc verò mihi de opti-
mis pastoribus dicuntur, non de
me ipso, & mei similibus: sed si
quis talis sit, qualis erat Paulus,
qualis Petrus, qualis N. Istos itaque
imitemur & superiores, & subditi:
licet enim & subdito pro parte pa-
storem agere, nempe domûs suæ,
amicorum, domesticorum, uxoris,
liberorum.

Rz. Iste est, qui ante Deum.

IN

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII, Cap. 25.

In illo tempore: Dixit JESUS disci-
pulis suis parabolam hanc: Ho-
mo peregrè proficiscens, vocavit
servos suos, & tradidit illis bona sua.
Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 4, in Matth. Cap. 25.

Homo iste paterfamilias haud du-
bium quin Christus sit: qui ad
Patrem post resurrectionem victor
ascendens, vocatis Apostolis, doctri-
nam Evangelicam tradidit; non pro
largitate & parcitate alteri plus & al-
teri minus tribuens, sed pro acci-
pientium viribus: quomodo & A-
postolus eos, qui solidum cibum
capere non poterant, lacte potasse
se

se dicit. Denique & illum, qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor, simili recepit gaudio: non considerans lucri magnitudinem, sed studii voluntatem.

R. Amavit eum &c.

Lectio VIII.

In quinque, & duobus, & uno talento, vel diversas gratias intelligamus, quæ unicuique traditæ sunt: vel in primo, omnes sensus examinatos; in secundo, intelligentiam & opera; in tertio rationem, quâ homines à bestiis separamur. Acceptis ille terrenis sensibus, cælestium sibi notitiam duplicavit, ex creaturis intelligens creatorem, ex corporalibus incorporalia, ex visibilibus invisibilia, ex brevibus æterna.

na.

na. Et iste pro viribus quidquid in lege didicerat, in Evangelio duplicavit: sive scientiam & opera præsens vitæ, futuræ beatitudinis typos intellexit.

Ry. Sint lumbi.

Leſtio IX.

Grande tempus est inter ascensionem Salvatoris, & secundum ejus adventum. Si autem Apostoli reddituri sunt rationem, & sub metu judicis surrecturi, quid eos oportet facere? Et notandum, quòd omnia quæ in præſenti habemus, licèt magna videantur & plurima, tamen comparatione futurorum, parva & pauca sunt. Intra, inquit, in gaudium Domini tui; & suscipe, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis



nis ascenderunt. Quid autem potest majus dari fideli seruo, quam esse cum Domino, & videre gaudium Domini sui?

